Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Alia, ad patrem

urn:nbn:de:bsz:31-312770

Visual Library

Alia, ad patrem.

S.D. Dedi nuper ad te literas, ſuauiſsime pater, quas ſpero ad te perueniſſe: neq; facile dixerim, quantum me (animo) cruciet expectatio tuarum literarum. Oro igitur te per ſummum erga me amorem, primùm ut errori meo des ueniam: deinde, ut pro tuo more iterum ad me ſcribas. quod ſi facies, planè tibi iterum uitam dabo. Tanti enim beneuolentiam facio tuam, ut non ipſam uitam magis optandam mihi eſſe ſtatuam, quàm ut te habeam æquum & propitium. Nam ſecundum Deum, in uno te ſpes omnes opesq; meæ ſitæ ſunt. Quare maximè liberabis me ab ærumnis ac miſerijs, ſi mihi placatus reſcripſeris. Res (ut ſpero) declarabit, nullam hærere in meis moribus ac uita infamiam. Plura ſcriberem, ſi præ dolore animi poſſem: quem nulla res leuare poteſt, niſi ſignificatio aliqua redditæ gratiæ. Acerbiſsimum mihi fuit uidere literas ad Vuolfgangum datas, cum ad me nihil eſſet ſcriptum. O me miſerum, ſi priori loco quiſquam apud te eſt, quàm ego. Obſecro te per Omnipotentem, ut me in gratiam recipias. Deum

Bene uale.

FINIS.